



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Disputatio II. De Fortitudine virtute.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

quã milites disponuntur, vt strenuè & fortiter munus suum obeant.

Porro Prudentia monastica singularis, seu particularis, quareque propriissimè Prudentia nuncupatur, vt potè quã bonum habentis spectat, specie differt à Prudentia legislatrice, œconomica, & ciuili, & militari quã alienum bonum respiciunt. Si autem Legislator leges condit, & Patrifamilias domesticorum curam gerit, & Magistratus ciuitatem, & Dux exercitum gubernat, & suo muneri satisfaciatur; ea Prudentia monastica, & singularis nuncupanda est. Vt igitur œconomica, legislatrix, ciuili, & militaris appelletur, aliorum bonum, non proprium per se spectare debet. Sed an quælibet ex his prudentiis plures species sub se contineat? difficultate non caret. Aliquibus placet continere iuxta diuersitatem obiectorum, quam prudentia superare intendit; quippe alia est difficultas in humilitate assequenda, alia in assequenda iustitia, alia in assequenda temperantia; ideoque stare optimè potest esse prudentem in vfu iustitiæ, non tamen in humilitatis vfu. Itemque in gubernatione vnus familiaris, ciuicis, vel exercitus, non tamen alterius; eo quod personæ, loca, tempora, & circumstantiæ diuersum procedendi modum requirant. In contrarium autem est quia quælibet ex his prudentiis vnica rationem formalem respicit, nempe inquisitionem eorum quæ agenda, vel fugienda sunt, in propriam, vel alienam perfectionem. Quod verò illa perfectio sit in materia iustitiæ, humilitatis, vel temperantiæ, vel circa familiam, ciuitatem, vel exercitum, per accidens est, & quæ modum operandi Prudentiæ non videtur immutare. Sed distinctiue opus est, si loquamur de Prudentia virtute supernaturali infusa credendum duplicem tantum esse Prudentiæ speciem atotam nempe, quæ in bonum habentis ipsam, & in propriam actionum moderationem dirigat, & quæ in bonum aliorum, & eorum regimen ordinat. Nam cum hæ virtutes sint quasi potentie, actus specie diuersos continere valent, si sub vna eademque ratione formalit attingantur, vt contingit in Fide, Spe, & Charitate supernaturali. At si de Prudentia naturali acquisita sermo sit, existimo quamlibet ex supradictis prudentiis varias Prudentiæ species sub se continere. Nam est ratio formalis vnica sit, at materialis, & quæ per se, & immediatè ab actibus attingitur diuersa est, ac proinde sufficit diuersitatem in actibus constitutere. Quã diuersitate constitutã habitus ex iis actibus producti specie differre debent; cum habitus acquisitus, sit facultas quedam ad producendos actus similes illis à quibus genitus est. Sicuti docuit D. Thom. 2. 2. q. 47. art. 1. Gregor. de Valent. 2. 3. disp. 4. qu. 2. p. 1. & q. 3. 10. Lessius. lib. 1. de iustit. cap. 2. dub. 1. n. 6. & alii.

Tertiò D. Thom. quæst. 57. ex Philosopho. 6. Ethicorum. cap. 9. & seqq. diuidit Prudentiam in triplicem partem potentialem, hoc est, in triplicem actum, qui ex prudentia tanquam ex potentia laboratur; nempe Eubuliam in consultatione rerum agendarum versantem; Synerisim rectum iudicium de rebus in consilium adductis secundum leges communes, & ordinarias profertentem; Gnomon cum iudicium profertur ex naturali ratione præter verba legis ob circumstantias occurrentes ex benigna Legislatoris voluntatis interpretatione. Etenim cum superius dixerimus prudentiam esse intellectualem habitum pro difficili agendum cognitione inductam, efficiunt sane hæ consultationes, & iudicia ab ipso habitu Prudentiæ tanquam à causa efficiente provenire. Fateor tamen, vt rectè norauit Gregor. de Valent. 2. 2. disp. 4. q. 3. p. 1. hos actus specie distingui, & consequenter habitus ex ipsis genitos. Tum quia stat optime quemlibet prudentem, & solentem esse in honestatis agendorum inuestigatione, media cum fine comparando, cum tamen postmodum in iudicio delinquat.

PUNCTUM III.

Qualiter aduersus Prudentiam pecces?

- 1 Peccas dupliciter per excessum, & per defectum.
2 Quale peccatum sit cum per defectum peccas?
3 Qualiter per excessum recedens à Prudentia pecces?

Dupliciter D. Thom. 2. 2. q. 53. 54. & 55. asserit aduersum Prudentiam te delinquere posse; primò per defectum, secundò per excessum. Per defectum delinquis præcipitatione, inconsideratione, inconstantia, & negligentia. Per excessum prudentiã carnis, astutiã, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & futurorum sollicitudine. Etenim cum Prudentia sicut & quælibet alia virtus moralis in mediocritate consistat, deniare ab eius rectitudinis potes per defectum, vel per excessum. Primò namque denias per defectum præcipitatione iudicij, cum ad iudicium properas

Ferd. de Castro, de iust. & iur.

nullã, vel insufficiente consultatione de rebus agendis factã. Secundò à Prudentia recedis inconsideratione circumstantiarum, aliarumque rerum, ex quibus rectum iudicium efformandum erat. Tertiò inconstantia, cum nullã, vel leui ratione ductus à maturo prudentiæ consilio, seu iudicio desistis. Quartò negligentia cum ex quadam animi laxitudine, & torpore prædictam consultationem, & iudicium de rebus agendis omittis, vel insufficienter præstas.

Sed dubiæ quæstionis est, quod peccatum sit hæc præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia? Sub distinctione respondeo, si circa aliquam determinatam materiam versentur pro illius qualitate, & grauitate, peccati rationem habebunt, & in ea specie constitutum in qua fuerit materia. Exemplum est, si absque vlla, vel leui examinatione, an dies sit festiuitas Missam omittis, peccas grauius aduersus Religionem. Si proximi peccatum reuelas absque debita inquisitione, an id facere possis, peccas contra iustitiam, & sic de aliis virtutibus. Vnde hæc præcipitatio, & inconsideratio non est aduersus specialem Prudentiam, sed cuiuslibet virtuti opponitur. Quare inconsideratio, & inaduerentia, negligentia, & inconstantia, vt prudentiæ specialii opponantur, nullam determinatam materiam spectare debent, sed in genere, & in communi procedere, nolendo honestatem agendorum examinare, nec de illis iudicium maturum habere. Sicuti Prudentia non virtutibus singulis modum procedendi præscribit, seu generatim procedit determinando intellectum, vt dubia examinaret, & de ipsis maturè iudicaret. Velle autem hanc agendorum examinationem, & iudicium omittit, præter peccatum est non ratione sui, sed ob periculum omittendi plurius præceptorum executionem. Non enim Prudentia (vt bene aduertit Lessius lib. 1. de iustit. 1. cap. 2. dub. 4. num. 20) per se præcipitur, sed propter opus quod ex illa regulandum est. Sic imprudentia non ratione sui peccatum est, sed quia causa est peccata plurima committendi.

Rursus per excessum à Prudentia recedis. Primò Prudentia carnis, hoc est cogitatione, & inuelligatione eorum, quæ carnali appetitui accommodata sunt. Quam Prudentiam vt potè falsam, & fallacem dixit Apostolus ad Rom. 8. Deo esse inimicam. Estque peccatum mortale, vel veniale iuxta qualitate mediocritatis, & fallacium pro fine consequendo, cuius peccati grauitas ex affectu pensanda est, sicuti diximus de prudentia carnis. Est enim quedam illius species, ac proinde prohibita ab Apostolo 1. Corint. 4. Non ambulantes in astutiã. Tertiò dolo, seu astutiã executione, verbis, vel factis præstitã in proximorum dampnum. Vt de peccatoribus Ecclesiast. 19. dicitur. Interioria eius plena sunt dolo. & Psalm. 5. Dolo tora diemeditabantur. Ad idem est fraus, quæ à dolo differt ex eo quod per facta tantum deceptionem præstet. Quartò à Prudentia decidis sollicitudine nimia, temporalia conquirendi, vel conferuandi vt potè à Christo prohibita. Matth. 6. illis verbis Ne solliciti sitis animæ vestre quod manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Tandem te opponis Prudentiæ futurorum intempestiã sollicitudine, cum futura præter ordinem, & rationem prouidere cupis, quod damnauit Christus Matth. 6. dicens Nolite solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua. Notanter dixi nimiam temporalium, & intempestiã futurorum sollicitudine. Nam moderata temporalium cura, & tempestiua, seu prouida futurorum cautio non à Christo reprehenditur, sed potius ab Spiritu sancto commendatur. Deuteronom. 12. ibi Vtinam saperent, & intellexerent, ac nouissima prouiderent. Et Proverb. 6. Vade ad formicam & piger, & considera vias eius, & discite sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem parat in astute cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Quod si roges, quæ sollicitudo erit nimia, vel intempestiua, quæque moderata, & tempestiua, ex prudentis arbitrio iudicandum est, spectatã negotij qualitate. Illud certum: temporalium, vel futurorum sollicitudinem quæ animum ab spiritualibus auocat, immoderatam & intempestiuam esse, & omnino execranda.



DISPUTATIO II.

De Fortitudine Virtute.

AMETSI inter virtutes Cardinales secundum locum Iustitiã obtineat, vt potè nobilior Fortitudine, & Temperantia, quia tamen eius materia vastissima est, in fine eius explicatione referuamus præcipue

præcipue cum pro obrinenda, conseruandâque Iusticia non laiter conducatur proprias passiones moderatas habere, cuius officium præstat Fortitudo, & Temperantia, vt videbims.

PUNCTVM I

Quid sit Fortitudo, & quæ illius functiones?

- 1 Explicatur Fortitudinis natura.
- 2 Fortitudo in superanda difficultate mortis possimum versatur.
- 3 Martyrium Fortitudinis actus præcipuus est.
- 4 Quæ opponantur Fortitudini per defectum?
- 5 Quæ per excessum?

Fortitudo generatim sumpta significat tum animi, tum corporis vires, vt pluribus exornat Ambros. Calepin. Verbo Fortis, & Fortitudo. Speciatim autem sumitur pro constantia, & firmitate in virtute retinenda, & vitio fugiendo, superatis quibuscunque contrariis. Secundum quædam significationem Fortitudo virtus est specialis, & atomia, quæ honestatem in genere firmiter amplecteris, & vitium fugis: vt enim eâ virtute quicquid honestati contrarium est remouet. & ab his quæ ad vitium impellant declinat. Quomodo videtur sumpsisse Fortitudinem Ambros. lib. 1. Officior. cap. 36. etiam inquit. Iure eâ Fortitudo vocatur quando vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque insicitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secundis, & quasi vento quodam, variatur rerû circumfertur mutatione. Et Prosper lib. 3 de Vita contemplatiua. cap. 20. cum ait. Animi Fortitudo ea debet intelligi, quæ non solum diuersis pulsata molestiis inconcussa permanet, sed etiam nullis voluptatum illecebris resoluta succumbit. Strictius autem sumpta Fortitudo, est quælibet virtus quatenus sui impedimenta remouet, & vitis contrariis se opponit. Quælibet namque virtus non solum habet ex se honestatem sui obiecti attingere, sed etiam quicquid ei obstat auertere, vt potè ad ipsius consecutionem necessarium. At in hac, & precedenti significatione non sumpta est Fortitudo à D. Thom. eiusque Interpretibus 2. 2. q. 123. art. 1. & segg. sed pro quadam animi firmitate ad superandam quamlibet difficultatem, quæ in virtutibus reperiri possit, eo quod id honestum, & rationi consonum sit. Vt bene docuit August. lib. 83. qq. 9. 31. & Philosoph. 2. Ethic. cap. 3. 6. & 7. & lib. 3. cap. 7. & alibi. Superare igitur difficultatem in virtute repertam commune est omnibus virtutibus, at superare illam quatenus consonum rationi est, proprium est virtutis Fortitudinis moralis: nam sub hac ratione sola, hæc specialis virtus difficultatem superat, cum tamen quælibet alia virtus sibi obstantia vincat, ex propria, & peculiari sui honestate. Sicuti explicatur Lessius. lib. 3. de Fortitudine. cap. 1. n. 4. Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 8. q. 1. pun. 2.

Difficultates igitur virtutum superabis, partim si pericula, quæ illis obstant prudenter caueas, vel moderate aggrediaris, partim si illis euenientibus non succumbas. Vnde Fortitudo versatur in moderanda timoris, & audaciæ passione. Vt scilicet secundum Christianæ prudentiæ regulas pericula aliqua, & difficultates virtutum fugias, alia aggrediaris, alia patienter sustineas.

Sed quia ex his difficultatibus, & periculis illud maximû est, quod mortem inferit quæ est omnium terribilissimum, Fortitudo in superandâ eâ difficultate præcipue versatur, & maxime in superandâ difficultate mortis in bello contingentis. Non quia in superandis aliis leuioribus difficultatibus, & in aliis materiis Fortitudo non vigeat, sed quia Fortis, & Constans ea debet dispositione præditus esse, vt pro continendâ, conseruandâque virtute mortem præcipue in bello subire paratus sit. Sicuti rectè explicuit Valen. disp. 8. q. 1. pun. 2. Philosophum. 3. Ethicorum. c. 6. dicentem non esse fortem eum qui flagris cadendus confidit, vel non esse fortem qui mortem in mari, vel in morbo contingentem subit, vt intelligatur non esse fortem nisi simul mortem in præclarissima re, scilicet bello subire paratus fuerit. Stante autem hac animi preparatione cuiuslibet mali prudens fuga, vel aggressio, aut permissio, fortitudo est.

Hinc rectè colligit D. Thom. communiter receptus. 2. 2. q. 124. art. 2. martyrium Fortitudinis actum præcipuum esse, quippe in eo vita quæ est omnium bonorum maximum bonum, ob fidem, veritatemque Catholicam ruendam exponitur. Conditiones autem ad ipsam requisitas, & qualiter à baptismo fluminis, & flaminis differat latè explicui, tract. 19. jun. 14. §. 1. & 2.

Porro fortitudini per defectum opponuntur. Primò timiditas, eò quod timendo excedis, siquidem times quæ & quando timenda non sunt, vel quæ timenda sunt times plu-

quam par est. Quod vitium per se spectatum veniale peccatum est, ar si ob eius causam ab aliquo virtutis grati præcepto desistas, mortale erit. Vti bene explicuit D. Thom. 2. 2. q. 125. art. 3. Caietan. verb. Timor. Gregor. de Valen. disp. 8. q. 3. pun. 2. in fine. Lessius. lib. 3. de fortitud. cap. 1. n. 61. Paul. Layman. lib. 3. sect. 3. num. 7.

Secundò opponitur Fortitudini per defectum intimitas, seu animi stupiditas, cum scilicet nec times quæ timenda sunt, neque quando, & prout oportet. Nam cum proprium sit Fortitudinis, (vt dictum est) plurium malorum pericula cauere, Fortitudini te appones, si hæc pericula temnas. Eritque peccatum mortale, vel veniale pro qualitate nocumti proprii, vel alieni inde proueniens. Sicuti docuit D. Thom. p. 1. 26. art. 1. Caiet. verbo Intimitas. Gregor. de Valen. Lessius, Layman. supra.

Tertiò opponitur Fortitudini per excessum audacia, & ignauias. Audacia in eo sita est, vt pericula adcas, & aggrediaris quando, & quo modo oportet. Ignauia vetò cum ea aggredi refugis. Quæ sunt peccata grauias, vel leuia pro qualitate materiæ, quam refugis, vel aggredieris. Aduertit autem optimè Lessius. lib. 3. de fortitud. cap. 1. dub. 6. in fine. n. 66. Audaciæ maxime affinem esse intimitati (ca timoris vacuitatis ignauiam vetò timiditatis) de quo committitur solum timiditatem, & audaciæ Fortitudinis opponi docuerunt Doctores; tamen si claritatis gratia in hæc quæ vitia distinxerimus, quæ Fortitudini opponantur. Vt bene tradiderunt, Gregor. de Valen. Lessius, & Layman. locis citatis.

PUNCTVM II.

De Virtutibus Fortitudini annexis, & Vitiis oppositis.

- 1 Enumerantur virtutes Fortitudini annexæ.
- 2 Fidentia Fortitudini annexa quæ sit.
- 3 Declaratur Securitas, quæ est pars Fidentia.
- 4 Item Magnanimitas.
- 5 Item Magnificencia.
- 6 Item Patientia.
- 7 Item Longanimitas.
- 8 Item Perseuerantia.
- 9 Item Constantia.
- 10 Expenduntur vitia prædictis virtutibus opposita.

Fortitudini annectuntur fidentia, securitas, magnanimitas, magnificencia, & patientia, & longanimitas, perseuerantia, & constantia. Vti colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 128. & segg. eiusque expofitoribus. Etenim cum officium Fortitudinis sit, difficulta aggredi, & terribilia sustinere, & in huius finis consecutionem prædictæ virtutes condecant, Fortitudini censentur annexæ. Neque censendæ sunt annecti, vt virtutes specie distinctæ in se, vel à Fortitudine, potius enim existimandum est ipsas Fortitudinem, quatenus in malis superandis, & bonis arduis consequendis diuersa munia exerceat, prædictis nominibus occupari.

Fidentia igitur est spes boni ardui consequendi, vel mali superandi, vt dixerunt Cicero: lib. 2. de iuuent. & August. lib. 83. qq. cap. 31. his verbis. Fidentia seu fidentia est spes quam magnis, & honestis rebus multum in se animus in seipsum cum certa spe collocabit, & sequi Fortitudinis necessaria, vt potè quæ sine hac spe nec bonum arduum aggredi, nec malum contingens superare poteris.

Securitas pars est fidentia, contingitque cum ex toto timore, & anxietudine fidis te non esse à malo vincendum, neque à bono declinandum, pertinètiq. ad fortitudinem, quæ expulsi inuitabilis curis, & vanis timoribus sedatis, animum in virtute tranquillum, securum, & firmum reddit.

Magnanimitas magna aggreditur, & parua despiciit, eò quod naturæ rationali consonum sit. At cum nihil in rerum natura magnum sit nisi bonum honestum, & honestis in sola virtute reperitur, efficitur magnanimitatem in consecutione, conseruationeque virtutum versari tantum posse. Vt docuit D. Thom. 2. 2. q. 134. art. 2. ad 2. & ex Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 3. Neque obest quamlibet virtutum, si in gradu perfecto sit, magna aggredi, quia ea aggreditur ex peculiari honestate sui obiecti: at magnanimitas ea aggreditur ex honestate, & decencia, seu conuenientia, quam illa magna habent cum animo rationali in beatitudinem creato. Vt rectè animi diuertit Lessius. lib. 3. cap. 2. dub. 4. n. 7. Neque item obest dixisse Aristot. lib. 4. Ethicor. cap. 3. & D. Thom. q. 129. art. 2. 3. & 4. Magnanimitatem versari circa magnos honores, quia circa eos versatur moderata eorum appetitum, ne pluriquam par est æstimetur, & appetantur, sed solum quatenus virtuti consequendæ, & conseruandæ condecere possunt. At circa honestatem virtutis, quæ

que per se magnum quid est & excellens directè, & immediate veritatis, quippe est proprium illius subiecti. Mores autem virti magnanimi rectè designavit Aristot. lib. 4. Ethicor. cap. 3. & ex illo Lestius. lib. 3. de instit. cap. 2. dub. 2. n. 14. ubi videtur possunt.

Deinde fortitudini annexitur magnificentia, quæ sumpta pro virtute quæ generatur ad magna faciendâ inclinatur, non est specialis virtus, sed omnibus virtutibus communis, cum quælibet virtus proprium obiectum attingens, magnum præbet. At sumpta magnificentia pro habitu inclinante ad magna opera externa faciendâ magnis pecuniis contemptis, vti virum munificentissimum decet, specialis est virtus, vt rectè Aristot. 6. Ethicor. cap. 6. & 4. Ethicor. cap. 2. Julius lib. 2. de inuent. August. lib. 83. q. 3. D. Thom. 2. 2. q. 134. art. 2. tradiderunt. Habet enim speciale obiectum, vt consideranti manifestum erit. Fortitudiniquæ annexitur, vt potè quæ superat difficultatem; quæ ad hæc magna præstantia inreuerentia solet, quæ regulariter nulla alia est præter magnos pecuniæ sumptus. Distinguitur hæc virtus à magnanimitate, ex eo quod magnanimitas quodlibet magnum sine sit opus internum, sive sit actio, sive effectus aggreditur, at magnificentia solum opus externum spectat. A liberalitate verò distinguitur, quia hæc solum versatur in expendenda pecunia iuxta communes, & ordinarios sumptus, ne inquam ex affectu pecuniæ ab actionibus viri liberali competentibus deficiat; neque per se respicit, an inde aliquod magnum opus exterum efficiatur: sicut magnificentia, quæ per se magnum opus externum efficiendum spectat, quin impediatur ex affectu ad magnam pecuniæ summam.

Patientia Fortitudini annexa animam firmat, ne ob res aduersas huius seculi, tristitias, & merore inde confurgentes à virtute decedat, sed moderatè iustitiam, & merore temperato omnia æquanimiter tolere, ob honestatè quæ in hoc obiecto reuertit. Sic sumpta patientia à Fortitudine distinguitur, eo quod in rebus aduersis citra mortis periculum tolerandis versetur, cum tamen Fortitudo primò & per se in morte patienter sustinenda respiciatur. Vt aduertit Valen. 2. 2. disp. 8. q. 3. p. 1. verò patientia. Lestius lib. 3. de virtut. cap. 2. dub. 5. num. 37.

Longanimitas quæ patientiæ pars est animum perficit, ne ob remotionem mali dilatatam, vel boni sperari consecutionem tristitia obruat. Iuxta illud Proverb. 1. 3. Spes quæ difforsur affligit animam.

Perseuerantia sumi solet pro continuatione iustitiæ vsque ad finem vitæ, in quo sensu est speciale Spiritus Sancti donum comprehendens iustitiam homini inhaerentem, & auxilia Diuina, quibus hæc iustitia vsque ad finem vitæ conseruatur. Strictius autem perseuerantia sumpta, & vt Fortitudini annexa est, animum firmat in bono, non obstante molestia, quæ ex illius diuturna continuatione nascitur: firmat inquam in bono ob honestatem, quæ in hac firmitate reuertit. Ob quam rationem ab aliis virtutibus distinguitur, quarum munus est firmare animum in bono, ob honestatem peculiarem illius boni in quo animus obfirmatur. Etenim quælibet virtus nempe Pietas, Religio, Temperantia &c. non solum sui obiecti propriam honestatem, attingit, sed impedimenta ei obstantia remoueat, ac proinde illius consecutionem procurat, ob sui tamen honestatem peculiarem. At perseuerantia non peculiarem cuiusvis virtutis honestatem respicit, sed honestatem, quæ in ipsa boni operis continuatione respiciatur.

Denique Constantia Fortitudini annexa non videtur à perseuerantia distingui, cum idem sit perseuerare in bono, ac in eo constans esse: per accidens tamen distingui potest si firmamus perseuerantiam ex diuturna boni continuatione natam, constantiam verò propter molestiam superat ex aliis causis extrinsecis pronouentem. Vt distinguit Valen. 2. 2. disp. 8. q. 3. p. 1. circa finem.

Predictis virtutibus varia vitia opponuntur. Fidentia enim opponitur incredulitas, & desperatio mali vincendi, & boni consequendi, siue conseruandi.

Securitati contrariis est nimis timor, & anxia cura, quod bonum consequi, conseruari non possit, nec malum superari.

Magnanimitati opponuntur secundum excessum præsumptio, ambitio; secundum defectum pusillanimitas. Præsumptio aliàs nimia confidentia dicta, opus sumpta propriam facultatem aggreditur; vel aggredi parata est errore culpabili se posse effectum obtinere, vti faciunt qui absque longo studio, & Sanctorum Patrum lectione Sacras Scripturas exponunt, & absque dono Prophetiæ, vel oraculorum futura prædicunt, & miracula parare tentant, officium Medici, Chirurgi, Aduocati, Iudicis, Confessoris exercent absque sufficienti peritia; si iurisdictionem vsurpant quam non habent, operaque excellentiora virtutis aggrediuntur omnibus medijs à Deo præordinatis, & salutem eternam credant sibi debitam esse, tamen vitii inhærent.

Ferd. de Castro, de Iust. & Iur.

reant, ac denique si pericula peccandi temnant, & alia similia. Hæc igitur peccata ex nimia confidentia, seu præsumptione oriuntur, & regulariter mortalia sunt ratione materiae, & irreuerentiæ factis rebus facta, vel nocenti proprii, vel alieni; tamen præsumptio per se spectata veniale peccatum sit. Vti tradit Caiet. verbo Præsumptio. Tolet. lib. de peccatis mortalibus cap. 22. Nauarr. cap. 23. n. 14. Gregor. de Valen. disp. 8. q. 3. p. 2. verò Præsumptio. Lestius lib. 3. cap. 2. dub. 3. n. 10. Layman lib. 3. sum. sect. 3. num. 10. Cum verò præsumptio Spei Theologicæ virtuti opponitur, vti contingit, cum indebitè de Diuina misericordia confidit sperans salutem eternam consequi, tamen de penitentia non curat, semper est peccatum mortale, vt rectè notauit Gregor. de Valen. supra. Ambitio est inordinatus appetitus honoris consistentis in signo, seu testimonio excellentiæ, & dignitatis ab hominibus exhibito non verbis, sed factis, nempe submissione, concessione loci honoratoris, delatione Principatus, muneris, & similibus. Contingitque tripliciter, rectè D. Antonino. 2. p. tit. 3. cap. 5. Lestio lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 21. Layman lib. 3. sect. 3. num. 11. Primò si appetas honorem tibi non competentem, vel maiorem quam competet. Vti si appetas honorari tanquam Doctor, Magister, Iudex, Nobilis, cum tamen illis dotibus careas. Vel si appetas ob diuitias, doctrinam, fortitudinem, aliamque dorem, excellentiorem honorem quam his dotibus debetur. Vti contingit beneficij competitoribus, qui dignioribus præferri curant. Secundo si honorem iniquum appetas. Vt si appetas honorari ob artem magicam, ob rebellionem, homicidium, luxuriam, aliaque peccata, Tertio si honorem appetas tanquam vltimum finem, paratus ob illius consecutionem Deum offendere. Eiusmodi est ambitio per se spectata veniale peccatum sit, a tamen mortale est, si inde proximo graue nocementum inferatur, vel ex re moraliter turpi capietur, vel ad illius consecutionem, medium sub grati præcepto prohibitum assumatur. Sicuti aduertit Caiet. verbo Ambitio, & 2. 2. q. 131. art. 1. & 4. Nauarr. comment. de finib. humanor. actuum n. 56 & 59. Tolet. lib. de peccat. mortalib. c. 25. Lestius lib. 3. c. 2. dub. 3. n. 22. Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 8. q. 3. p. 1. verò ambitio. Paul. Layman lib. 3. sect. 3. n. 11. Vana gloria est appetitus gloriæ vanæ; hoc est vanæ opinionis, & altimationis verbis declarandæ, qui esto per se peccatum veniale sit, mortale efficitur, si cum graui nocimento proximi queratur, aut ex re mortali capietur, aut ob illius consecutionem, vel consecutionem negligas propriam salutem, mortale peccatum committas. Sicuti diximus de ambitione; tradit D. Thom. Caiet. Nauarr. Tolet. Valen. Lestius, Layman, & alij locis citatis. Appellaturque vitium capitale, quia ex eo tanquam ex capite, seu radice hæc septem filia nascuntur, rectè S. Gregorio lib. 3. 1. Moral. cap. 31. S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 4. & 5. nempe inobediencia, iactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, nouitatum præsumptio, quas optime explicat D. Thom. Lestius, & alij supra.

Porrò moderatus honoris, & gloriæ appetitus nullatenus peccatum est, sed opus virtutis iuxta illud Ecclesiast. 4. 1. Curam habe de bono nomine. Matth. 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est. & ad Rom. 12. Prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Censetur autem honoris, & gloriæ humanæ moderatus appetitus, si ea tanquam virtutis incrementa querat, vel tanquam medium, vt rectius suo muneri satisfaciat, saluti proximorum incumbat, Dei gloriam assequaris, vt rectè notauit S. Thom. 2. 2. q. 132. art. 1. Gregor. de Valen. dicta disp. 8. p. 1. circa medium Nauarr. cap. inter fratres conclus. 5. num. 45. & comment. de finib. humanor. actuum. n. 55. Laym. lib. 3. sum. sect. 3. n. 12.

Solum est dubium, An censendus sit honoris, & gloriæ humanæ moderatus appetitus, si ex re bona appetantur, tamen si in ipsis appetitus sistat, neque ad alium finem ea referat? Affirmat Lestius lib. 3. cap. 2. dub. 3. num. 21. eo quod obiectum indifferens sit, proximèque ad rationem honesti accedat, quippe est quoddam testimonium, imaginèque virtutis. Sed rectius docuit contrarium Nauarr. in comment. human. actuum. n. 57. Gregor. de Valen. dicta disp. 8. q. 3. p. 1. in medio. Paul. Layman lib. 3. sect. 3. num. 12. fauèque D. Th. 2. 2. q. 132. art. 1. in corp. Etenim creatura rationalis obligata est operari secundum rationem: ergo obligata est in bona sua operatione bonum honestum appetere, quippe hoc solum est proprium rationis. Nam reliqua bona vitia appetitui sensitiuo competunt, at appetitus honoris, & gloriæ vanæ nullâ relatione factâ ad virtutem, non est operatio secundum rationem. cum honor, & gloria vana non sit per se bonum honestum, sed vile, & delectabile. Nequit ergo esse appetitus secundum rationem ordinatus.


Pusillanimitas magnitudini per defectum opposita, est inordinata fuga ab officiis, honore, gloriâ, vt suam facultatem, & dignitatem excedentibus, cum tamen non

excedant. Etenim pusillanimitas ceteris, cum ex animi deiectione refugis docere populum, ministrare Sacramenta, gubernationem assumere, & alia similia præstare ad quæ idoneus es. Si opera virtutis omittas, ut tuz facultati Divinâ gratiâ adiuta impossibilia, aut nimis gravia, cum tamen facilia sint. Si honorem, & famam tuo muneri, & statui convenienter respicias; ac denique sit sic deiciat, ut ea quæ magnanimum decet non audeas aggredi. Hoc vitium per se veniale peccatum est, tamen si nulla sit obligatio, sed solum consilium suscipiendi munus oblatum, sequendi virtutem, acceperandi honorem; quia opera consilij ex animi deiectione omittit peccatum est. Ut rectè annotavit Lessius lib. 3. cap. 2. dub. 3. in fine: aliquando peccatum est mortale, si renuas suscipere opera tibi sub graui præcepto indicata.

Magnificentia opponitur per excessum, pecuniarum profusio, seu nimia consumpcio, cum maiores sumptus facis quam opus requirit. Estque peccatum veniale sicut prodigalitas, nisi inde tibi vel proximo graue nocuumtatum proveniat. Per defectum verò Paruitentia opponitur, cum præ animi angustia omittis sumptus operi instituto convenientes. Ex qua omissione, vel ab opere magnifico deficiis, vel imperfectum præstas, estque per se veniale tantum peccatum, sicuti auaritia; nisi ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificentum perficiendum obligatus sis, ut annotavit Lessius lib. 3. de fortitud. cap. 2. dub. 4. in fine. Gregor. de Valen. cap. 3. disp. 8. quæst. 3. pun. 2. post medium. Layman. l. 3. sect. 3. num. 4. & alij apud ipsos.

Patientia opponitur per defectum durities, sed insensibilitas quæ vel propria, vel aliena mala non sentit, sed ea ex quadam stoliditate pronihilo facit, estque per se peccatum veniale, cum alienum sit à ratione, humanaque conuersatione, his malis non moueri. Per excessum verò opponitur imparientia, cum plus iusto de his malis doles, estque per se veniale, nisi causa sit alicuius scandali, vel noui peccati admittendi. Ut tradit Lessius lib. 3. cap. 2. dub. 5. num. 4. Paul. Laym. lib. 3. sum. sect. 3. n. 15.

Perseuerantia, & Constantia opponitur per excessum pertinacia, quæ tunc contingit, cum inhaeres consilio, iudicio, vel actione plusquam par est, estque per se veniale peccatum, nisi actio consilium, vel iudicium sit de re grauius iniqua. Per defectum verò opponitur mollicies, seu animi leuitas, & inconstantia, quæ à bono desistis absque vlla causa rationali, vel ex tædio virtutis. Peccatum vero mortale erit, si desistas ab opere ad cuius continuationem ex voto, vel præcepto tenebaris. Sic ex Aristot. 7. Ethicor. cap. 7. & 9. tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 138. art. 1. & ibi Caietan. Gregor. de Valen. disp. 8. quæst. 3. pun. 2. in fine. Lessius lib. 3. dub. 6. in fine. Layman. lib. 3. sum. sect. 3. n. 16. in fine.



DISPUTATIO III.

De Temperantia.

PVNCTVM I.

Quid sit Temperantia, quotuplex, & quæ vitia ei opposita?

- 1 Expenditur Temperantia definitio.
- 2 Quæ moderatio in voluptate gustus, tactus, pertinet ad temperantiam.
- 3 Quas partes integrales Temperantia habeat?
- 4 Quæ sint eius partes subiectiue?
- 5 Quæ sint partes potentiales?
- 6 Quæ per defectum opponantur Temperantia?
- 7 Quæ opponantur per excessum?



TEMPERANTIA latè sumpta actiones, & affectiones inordinatas temperat, & refrænat. At secundum hanc significacionem per omnes virtutes morales vagatur: cum quælibet virtus hanc circa proprium obiectum functionem præstet. Strictius autem sumpta Temperantia in moderandis voluptatibus corporis circa cibos, potus, & venereum occupatur, ut latè probat Aristot. 3. Ethicor. cap. 10. S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 4. Hac enim voluptas ex gustu, & inter omnia delectabilia appetitum rapit, & animum à Diuinis auocat, & specialem turpitudinem, & dedecus continet, vepotè brutis communis, ideoque opus fuit pro illius moderatione specialem virtutem Cardinalem designari. Nam licet alij sensus præ-

ter gustum, & tactum, nempe visus, auditus, odoratus moderatione indigeant, eam tamen non præstat Temperantia virtus per se sumpta, nisi quatenus inde voluptas tactus in cibis, potibus, & venereis excitari potest. Secunda hac excitatione alix virtutes Temperantia annexæ eam moderationem apponunt. Sed quia voluptatem gustus, & tactus moderari potes ad diuersos fines honestos satisfaciendi pro peccatis, subiectiui appetitum rationi, exequendi Ecclesie præceptum, Temperantia rationi, solum exerceat, eum eam voluptatem moderatis ob eius honestatem, & conuenientiam, quam cum recta ratione hæc moderatio habet.

Quod si roges, quæ moderatio in hac voluptate gustus, & tactus adhibenda sit? Respondeo in cibis, & potibus eam per se adhibendam esse, quæ necessaria, vtilisque fuerit ad humanam vitam conseruandam, illiusque functiones excedendas, provt status conditio, loci consuetudo, & alique circumstantia exigunt. Vti colligitur ex Philosopho 3. Ethicor. cap. 11. in fine Hieronym. in cap. 44. Ezech. in illa verba; Inducitis filios alienos in circumcisos. August. lib. de morib. Ecclesie cap. 21. S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 6. Nam cum assumptio cibi, & potus à Deo tantum concessa sit ob corporis reparacionem, illiusque integram conseruacionem, corpus verò conseruetur, ut anima suas possit in eo functiones exercere, efficitur nec minus, nec amplius ex cibo, & potu assumendum esse, quam quod ad corporis conseruacionem, animæque functiones excedendas necessarium vtilèque fuerit, secundum prudentis arbitrium. Ut bene notauit Valen. 2. 2. disp. 9. q. 1. punct. 1. circa finem Lessius lib. 4. cap. 1. dub. 2. Dixi per se, nam per accidens ob aliquem excellentiorem finem, licitum erit maiorem quantitatem ex cibo, & potu sumere, quam aliam deberes, ut contingit in conuiujs, ne inuubanus iudicis: ob finem autem castigandi corpus, & appetitum rationi subiectiui vitium est apud viros timoratos, & sanctos de cibo & potu alias moderato detrahere. Quoad venereum attinet ea moderatio adhibenda est, ut extra coniugium ab omni illius voluptate abstineas. In coniugio autem ne ea voluptate vitaris, nisi quatenus necessaria fuerit ad filios gignendos, concupiscentiamque eum propriam, tum coniugis sedandam. Ut latius tract. de matr. diximus.

Temperantia specialis virtus duplicem partem integram habet, hoc est duplicem perfectionem, seu passionem, quæ ad illius acquisitionem seu conseruacionem maxime conducit; verecundiam scilicet, & honestatem. Verecundia namque est moderatus timor committendi quod turpe, & probrosum sit. Cui opponitur inuerecundia: turpiditatem non horrens. Honestas est quæ honestum, seu honore dignum reddit. Quod esto de qualibet virtute dici possit, specialiter autem Temperantia tribuitur, teste Ildoro. lib. 10. Erymolog. litt. H.

Ex subiectiuis verò partibus triplicem sub se continet Temperantia; abstinentiam, sobrietatem, castitatem, seu pudicitiam: quibus opponuntur gula, ebrietas, luxuria, seu impudicitia. Abstinentia namque consistit in moderanda voluptate ciborum, sobrietatis in potus moderatione, castitas, seu pudicitia in frænanda concupiscentia, ne venereum appetat, nisi vbi, & quando recta ratio dicit. Appellatur autem pudicitia, quia vis venerorum etiam licitus, & quodcuque illorum signum, ut visus, oculus, amplexus pudorem, & verecundiam gignit. Ut rectè explicuit August. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 17. & 18. D. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 4. & Philosoph. lib. 3. Ethic. cap. 12. & lib. 2. art. 1. Rethorica cap. 6.

Ut partes verò potentiales annectuntur Temperantia, humilitas, studiositas, mansuetudo, clementia, modestia, parcitas, eutropelia. De quibus omnibus rectè agit D. Thom. 2. 2. q. 155. ex his quatuor priores continentia, studiositas, humilitas, mansuetudo ad compescendos internos motus voluntatis exorbitantis præcipue referantur; at posteriores, clementia, modestia, parcitas, eutropelia moderationem in actionibus externis adhibent. Igitur continentia munus est continere voluntatem, ne ab insurgentibus & deordinatis motibus appetitus sensitiui superetur, sed firma persistat in iis quæ rationi rectè consentanea fuerint. Humilitatis verò munus est voluntatem cohibere, ne velit plus excellentiæ, & honoris sibi tribui, quam congruis iustis statui, & conditioni. Etenim cum in excellentiam indubitam propensissimus ex antiqui perperis suggestione Genes. 3. Erius sicut Dj, necessario aliqua virtus statueretur erat quæ hunc appetitum frænaret, & intra limites rationis contineret, quibus nullatenus aduersatur vera cognitio donorum, quæ à Deo collata sunt, neque voluntas honoris in Deum relati ipsis donis conueniens. Studiositas autem temperat appetitum sciendi, ne inquam velit voluntas scire, & cognoscere nisi quæ scire rectè rationi congruit, & provt congruit. Mansuetudo appetitum vindictæ, seu iræ cohibet, ne metas rationis excedat. Hanc conseruati-